

1799.

- *
1. Borussia : Responsa iur. XXXVI, XXXVII, XXXVIII et
XXXIX. Programma, quo ordinarius senior et
reliqui per iur. annos memoriam Borussi-
nam . . . reculendam indicant.
2. Baier, Henricus Gottfriedus, fac. iur. procuranda
rius : Responsa iur. 33, 34 et 35. Programma,
quo solemnia inauguraalia Friderici Gulielmi
Anglici indicant.
3. Baier, Henricus Gottfriedus, fac. iur. procuranda
rius : Responsa iuris XL, XLI, XLII et XLIII.
Programma, quo solemnia Doctoralia Christi. Petri
Mauritii Keeppii indicant.
4. Bremius, Christianus Gottlob, fac. iur. procurand.
larius : De jure auctoracie, quatenus Imperia-
lori etque Imperio in castris ac munimentis
territoriorum Germanicorum competat. Progra-
mma, quo solemnia Doctoralia Christiani
Gothorpis Tullingii indicant.



1794

5. Inglerus, Fridericus Martinius: De numeribus pullis,
justiciae sacerdotibus, obique justa causa non
aperendis.

6. Erhardus, Christianus Vittel: Quae jura in alen-
dis et educandis liberis secundum statutas
naturalium est civitem ablineant?

7. Hartbold, Christianus Gallius: Inveniōnem in
privatum crederem Occam, jure afferendi
apud Romanos uixam, e foro leonino cele-
brare.

8. Heyne, Fridericus Christianus: De damnatione ad
metalla.

9. Klepe, Carolus Fridericus Maartius: De natura
et in dale ponētione ad iudicata uti pos.
videlicet et utribi redienda necessariae.

10. Knutzenkopers, Narce, Christianus: De antiquitate
vicariatus Saxonicis sive origines vicariatus
102. imperii principata Narce Francorum

Saxoniqae de dictac.

11. Paethenanus, Ios. Luct. En; fac. jas. porcancella.
rjas: (De iurejura & vicario). Progracma, quo
solenaria inaugaralia Friderici Martini Heyne
vi indicet
12. Raabe, Abraham Gottlieb: Interpretatio adic
sapphici in Yerem. Progracma, quo orationem
auspicalem indicet.
13. Tilling, Christianus Porfessor: Reportum heredibus
instituendis vel erheredandis ad U. 28 & 1. et. 29.
I.p.2.

1799

... und so sprach
Gesetzgebung und Verwaltung. Es ist weiter
ausführlich (siehe oben) ausführlich erläutert.
Vorbericht wurde inzwischen erneut
v. Jahn aus, Ausdruck habe ich nicht mehr
vorhanden. Ich kann Ihnen nur die
Wiederholung der oben genannten
Wortlauter nicht mehr garantieren.

J. Heine, Berlin, hat mir darüber
Wiederholung vorgenommen, und ich kann
diesen Ausdruck Ihnen nicht mehr
überreichen. Ich kann Ihnen aber
noch einen ausführlichen Bericht
zurückholen.

J. Heine, Berlin, hat mir darüber
Wiederholung vorgenommen, und ich kann
diesen Ausdruck Ihnen nicht mehr
überreichen.

J. Heine, Berlin, hat mir darüber
Wiederholung vorgenommen, und ich kann
diesen Ausdruck Ihnen nicht mehr
überreichen. Ich kann Ihnen aber
noch einen ausführlichen Bericht
zurückholen.

10382.

1794,7.

D I S P U T A T I O N E S
DE
S E L E C T I S
I V R I S C O N T R O V E R S I
C A P I T I B V S

I L L V S T R I S I V R I S C O N S V L T O R V M O R D I N I S
A V C T O R I T A T E
S E P R A E S I D E
P V B L I C E I N S T I T V E N D A S
I N D I C I T

D. C H R I S T I A N V S G O T T L I E B H A V B O L D

S V P R E M A E C V R I A E P R O V I N C I A L I S A D S E S S O R
A N T I Q V I T A T V M I V R I S P R O F E S S O R P V B L I C V S
E X T R A O R D

*Succeſſionem in priorum creditorum locum, iure offerendi apud Romanos nixam,
e foro Saxonico reſte exſulare*

P R A E F A T V S

L I P S I A E
E X O F F I C I N A S A A L B A C H I A



*Successionem in priorum creditorum locum, iure offerendi apud Romanos
nixam, e foro Saxonico recte exsulare.*

Quae anno proxime elapso a Friderico Reinoldo Wilgenrothio^{a)}, Viro Doctissimo, me praeside instituta est disputatio de iure offerendi, ex quo in priorum creditorum locum succeditur, quum pro consilii, quod auctor libelli ante oculos habuit, ratione ad sola iuris Romani placita spectaret: in fines, quibus usus insignis illius priuilegii forensis hodie regitur, aut regendus esse videtur, alia occasione sigillatim inquirere, ipse decreueram. Cuius quidem nominis tandem dissoluendi opportunitatem hoc tempore naclus, partem argumenti, quae supereft, ad duas quaeftiones reuocabo, quarum altera, quatenus in formulam hypothecariam, qualis hodie obtinet, cadat ius offerendi Romanum, inuestigare; altera, utrum pro nostra rei foenebris disciplina usus huius iuris suadendus sit, an diffuadendus, definire conabor.

A 2

I. Vt

^{a)} Wilgenroth *Disp. de iure of- rum locum succeditur*, me praeside ferendi, ex quo in priorum credito- Lipsiae anno superiore habita.

I.

Vt autem prior quaestio, quae ad ipsum fori usum pertinet, recte diuidetur, placet hic repetere nonnulla, quae in Commendatione modo commemorata ex iurisprudentia Romana de natura iuris offerendi in vniuersum sunt disputata. Quod quum esset facultas, iis, quorum interest, potioris creditoris pignoratitii priuilegium obtainere, eatenus concessa, vt, rite oblata et restituta pecunia credita, creditorem priorem dimittere et in eiusdem locum, iuris sui confirmandi gratia, succedere possint; sequebatur, duplum potissimum esse iuris offerendi vim: vt aduersus inuitum creditorem priorem exerceri queat, et vt, qui posteriore loco crediderunt, facta oblatione, ab offerente vincantur. Quodsi igitur hodie creditor, hypotheca antiquiori munitus, ab eadem depelli potest per alium creditorem, pecuniam, cuius nomine res debitoris pignori obligata fuerat, eo consilio, vt ipse in locum dimisum succedat, offerentem: ius offerendi, a Romanis ad nos translatum, exerceri, nemo inficias ibit, qui vel leuiter iurisprudentiae ciuilis pracepta degustauerit. Nec refert quidquam, vtrum id fiat interueniente cessione, dummodo sit necessaria, an absque eius auxilio, siquidem iam iure Romano cessione opus fuit, quoties alius, quam hypothecarius proximus, priorem sua pecunia dimittere vellet. Vnde intelligitur, summam disputationis eo redire, vt, vtrum et hodie creditor pignoratitius ad ius crediti et pignoris antiquioris in nouum creditorem, qui pro debitore hac demum lege, vt ipse locum potiorem nanciscatur, soluere paratus sit, transferendum recte adigatur, pateat. Quem quaestionis propositae sensum minime adaequati sunt ii, qui, quum cessionis necessitatem

sitatem in exercendo offerendi iure non animaduertissent, pignorum priuilegia in creditores, hoc iure vos, semper recta via transire, sibi peruerserunt.

Ac tales quidem beneficii nostri fines in mente habuisse videntur, quotquot eius usum hodiernum negauerunt interpretes. E quibus primo loco nominandus est acerrimus ille iuris Romani in Belgio censor, Simon a Groenewegen *b)*, qui, postquam parem hodie esse singulis creditoribus pignoris distrahendi potestatem monuerat, ipsum quoque offerendi ius, ad consequendam hanc potestatem olim necessarium, nunc in defuetudinem abiisse, obseruavit. Quae ratio quemadmodum Io. Voetium *c)* quoque in eamdem sententiam adduxit: ita alia caussa, quod pignora hodie iudicis plerumque auctoritate distrahantur, I. T. Wordenhoffium *d)* mouit, ut tantum exigua beneficio nostro in Germania partes deferret. Paullo faciliorem in admittendo eo se praebuit Vlr. Huberus *e)*, quamquam et ipse, aequitatis, cui ius Romanum, inopes creditores inferiores a pignorum distractione plane arcens, valde refragari existimaret, patrocinium suscepturnus, haec tenus ab ista seueritate hodie recedi statuit, ut talibus certe creditoribus,

A 3

etiam si

b) a Groenewegen Tr. de Legibus abrogatis et inusitatris in Hollandia, ad L. I. C. Qui potior. in pign. p. 702.

c) Voetius Comment. ad tit. D. Qui potior. in pign. §. 35. Tom. I. p. m. 732.

d) Wordenhoff Diff. de concursu

et collisione utriusque hypothecae, cum generalis, cum specialis (Traj. ad Rh. 1752.), §. 19. in Oelrichs Thes. nouo Differt, iuwidd. in Acad. Belg. habitar. Vol. I. T. II. p. 744.

e) Huberus Praelection. iur. Rom. ad tit. D. Qui potior. in pign. §. 27. Tom. III. p. m. 1064.



etiam si postremo loco constitutis, liceat ad venditionem eiusmodi pignoris, cuius possessioni prior creditor non incumbat, pecunia non oblata, prouocare, salua tamen ei, qui primus crediderit, ordinis praerogativa, in distribuendo pretio ex pignore redacto, diligenter obseruanda. Quibus limitibus positis, nescio an priuilegii, e Romano iure profecti, auctoritas labefactetur magis, quam sustineatur. Aperte denique contra usum eius hodiernum disputauit recentissimus huius argumenti scriptor, Ern. Gottl. Meinhofius f), Vir Illustris, qui praeter rationes ab aliis, quos nominaui, iam addatas, nouam adlegavit causam, cur illud creditorum beneficium in primis e foro Saxonico exsulare conferet. Quod enim apud Romanos facile eueniret, ut creditores secundi, rei oppigneratae, ex voluntate primi creditoris distrahae, pretio prioris fortis solutione exhausto, omni pignoris constituti utilitate sine offerendi iure exciderent: id in Saxonia quidem negauit posse accidere, siquidem apud nos hypothecae non solum consensum vel domini directi, vel iudicis rei sitae requirant, sed etiam ultra modum legibus domesticis definitum, qui pretio rei obligatae respondeat, plane non confirmantur. Quare, hoc modo obseruato, omnibus omnino creditoribus citra temporis iniuriam satisfieri posse statuit.

E contrario non defuerunt, qui, iuris Romani maiestatem comiter venerati, priuilegium eo iure introductum nostris quoque foris accommodatum esse contenderent. In quo numero praeter auctores peculiarium commentationum, de iure offerendi scriptarum,

f) Meinhofius *Diff. Observatio-* Saxonici continens (Viteb. 1791.),
nes quasdam iuris Germanici et Ols. 3.

rum, occurunt magna nomina Io. Sandii *g*), Dau. Meuui *h*), Bened. Carpzouii *i*), Io. Henr. Bergeri *k*), Lüd. Menckenii *l*), Augustini Leyseri *m*), Frid. El. Pufendorfi *n*), Dau. Ge. Strubenii *o*) et Christ. Gottl. Gmelini *p*), quorum plurimi id egerunt, ut, portionem hanc iuris Romani haud ignobilem hodiernis quoque moribus ex assūte respondere, rerum iudicatarum argumentis, aut legum adeo prouincialium exemplis confirmarent.

Nobis vero quid in tanto celeberrimorum Iurisconsultorum dissensu de usu iuris offerendi nouissimo vniuersitate videatur, iam profitebimus. Ante omnia igitur tenendum est, nullam existare legem, toti imperio Romano-Germanico scriptam, qua aut ipsum offerendi priuilegium, quale apud Romanos creditoribus indultum fuit, aut caussae, quibus originem olim debuit, expresse reprobentur. Quae enim ab aequali omnium creditorum pignoratitiorum iure ad pignoris distractionem prouocandi, aut a judicialis pignorum confirmationis

g) a Sande *Lib. III. Decision. Fri-
scar. tit. 12. def. 18. et 19.*

b) Meuius *Parr. IIII. Decif.
158.*

i) Carpzouius *Iurispr. forens.
Rom. Saxon. P. I. Conf. 28. def.
133-135.*

k) de Berger *Elector. Disceptr.
forensum tit. 46. obs. 4. not. 4. p.m.
1490. sq. et Supplementor. ad Elec-*

*Disceptr. foren. P. II. p. 908. nec
non Lib. II. Oeconom. iur. tit. 5. §. 15.
pag. 394. sq. ed. nouiss.*

l) Menckenius *System. iur. ciu.*

*secundum D. Lib. XX. tit. 4. §. 7.
pag. 355. ed. nouiss.*

m) a Leyser *Medit. ad D. Spec.
231. med. 6-9. Vol. IIII. p. 775. sqq.*

n) a Pufendorf *Obs. iur. vniu.
Tom. IIII. obs. 144.*

o) Strubenius in Operis, cui titu-
lus: *Rechtliche Bedenken, P. V. obs.
83.*

p) Gmelinus in libro, quem in-
scripsit: *die Ordnung der Gläubiger
bey dem über ihres Schuldners Vermö-
gen entstandenen Ganzprocesse, cap. 4.
§. 33. p. 330. sqq. ed. nouiss.*

tionis necessitate, aut ab aestimatione rerum obligatarum legibus praescripta vulgo repetuntur argumenta, singulis prouinciis propria sunt, nec ad vniuersam Germaniam pertinent. Communes autem consuetudines, quae, per omnes Germaniae regiones propagatae, vbius peraeque custodiantur, cum Gottl. Hufelandio ^{q)}, Viro Illustri, recte nego. Configendum igitur est ad recepti iuris auxilium, quo domesticae legislationis inopiae tuto succurritur, dummodo negotium ipsum, extera prudentia ordinatum, a nostris moribus non plane abhorreat. Quam quidem vtilitatem quam ius Romanum praefet potissimum in regenda pignorum per Germaniam natura, siquidem hypothecarum tacite contractarum, ordinis, quo creditorum singuli se inuicem excipiunt, actionum denique ad persequendas res pignori obligatas comparatarum exempla id manifesto probant: sequitur, etiam offerendi facultatem a creditoribus pignoratiis hodie recte exerceri, nisi particularis legislatio contrarium sanxerit. Nec temere ausim hanc iuris recepti auctoritatem vel in iis Germaniae prouinciis adserere, quarum domesticae leges vnam et alteram introductae offerendi potestatis rationem immutauerunt, aut plane sustulerunt. Eam enim cum Adolpho Dieterico Weber ^{r)}, Viro Celeberrimo, esse statuo alienae legislationis in auxilium vocatae vim atque indolem, vt, licet quaedam eius caussae hodie cessent, ipsarum tamen sanctionum vsui

^{q)} Hufelandius in Symbolis, quibus titulus: *Beyträge zur Berichtigung und Erweiterung der positiven Rechtswissenschaften*, I. Stück, Num. I.

^{r)} Weberus in Opusculo, cui titulus: *Reflexionen zur Beförderung einer gründlichen Theorie vom heutigen Gebrauch des Römischen Rechts*, pag. 62-71.

vsui nouissimo nihil detrahatur, dummodo aequitatis, qua excellant, idonea commendatio supersit. Sic, vt hoc exemplo vtar, decreto Diui Marci etiam in nostris ciuitatibus locus est relictus, et si cauillarum, quae Romanum legiflatorem impulerunt, vt privatam vindictam paullo seuerius coiceret, proxima, in seruorum, qui saepe vni domino parerent, exercitu posita, apud nos plane exsulat. Nec magis e nostris foris proscribitur actio de receptis, aduersus nautas, caupones atque stabularios iure Romano prodita, licet in homines nostrae aetatis, qui tale vitae genus sequuntur, minime cadat priscum illud odium, cuius vestigia Praetor edicto suo expressit. Quem recentissimae iurisprudentiae assensum etiam offerendi priuilegio vindicare eo minus dubito, quum in promtu sint illustria legum prouincialium Germanicarum exempla, quae, dum ipsum huius beneficii usum laniunt, e caussis tamen introductae apud Romanos creditorum, quam dixi, successionis vnam alteramque reproabant.

Iam enim in singulas patriae nostrae regiones est excurrendum, vt, quaenam Romanorum hac in re sequitae sint prudentiam, quibusue contrarium placuerit, adpareat. Quemadmodum autem Germaniae superioris leges, diuersis quantumuis prouinciis scriptae, fibi inuicem plerumque similes sunt, vt pote ex iisdem fontibus haustae, atque ad Romani iuris normam fere omnes compositae: ita et in successione creditorum pignoratiorum regenda mirifice telligitur. Ac primum quidem exemplum praebet Ius Prouinciale

B

Palati-



Palatinatus Rhenani ^{s)}), cuius non modo titulus exstat peculiaris: „Wie ein Gläubiger an des andern Statt komme, oder succedire“ etc. sed etiam sanctio occurrit huiusmodi: „Wann eines Schuldners zween Gläubiger, und der eine das Pfand, der andre nichts inn hätte, und derjenige, so es nicht inn hätte, dem andern seine Schuld bezahlen wollte, oder wenn der andre schon die Bezahlung anzunehmen sich verweigerte, das Geld beym Amt oder Gericht hinterlegte, soll ihm das Pfand, obgleich davon nichts abgeredet, dennoch allein verbunden seyn und zugehören. §. Aus welchem aber nicht folgt, so ein Fremder, dem der Schuldner nichts zu thun, für sich selbst, ohne oder mit Geheis und Willen des Schuldners, doch unvermelt einiger Pfandes, den Gläubiger oder die Pfand bezahlte, dass derselbe eben das Pfand an sich bringe. Sintemal der also das Pfand bezahlt, an Erledigung desselben gar keine Gerechtigkeit bekommt, noch an des Gläubigers Statt tritt, wo er ihm solches nicht mit Wissen des Schuldners ausdrücklich vorbehalten, oder der Gläubiger ihm seine Gerechtigkeit übergeben hätte.“ Quam diuersam creditorum pignoratitiorum atque extra-neorum successionem Badensi quoque iure ^{t)} adgnosci, locus eiusdem, Palatinae formulae ad verbum fere similis, probat: „Wann ein Schuldner zween Gläubiger, und der eine das verpfändete Gut, der ander aber wegen seiner ausständigen Schuld nichts in Handen hätte, und derjenige, so nichts inn hätte, sein Schuld bezahlen wollte, so soll er,

^{s)} Churfürstl. Pfalz bey Rhein
erneuert und verbessert Landrecht
(Heidelberg. 1611. fol.) Part. II.

tit. 20. §. 2. et 3.

^{t)} Badisches Landrecht (Durlae.
1622. fol.) Part. III. tit. 20.
Welcher gestalt ein Gläubiger an des
andern Statt komme.

wann derselbe die Bezahlung anzunehmen sich verweigerte, das Geld verpitschirt hinterlegen, und ihm alsdann das Pfand allein verbunden seyn und zugehören, obgleich solches nicht ausdrücklich abgeredt worden. §. Da aber ganz ein Fremder, dem der Schuldner nichts zu thun, auch käme, und den Gläubiger oder die Pfand bezahle: soll ihm nicht zugelassen seyn, alsbald auf die Pfand eine Gerechtigkeit zu erlangen, oder an des Gläubigers Statt zu treten; es wäre denn anfangs also vom Schuldner angedinget worden, oder der Gläubiger hätte ihm diese Gerechtigkeit freywillig übergeben.“ Nec infirmavit vsum priuilegii nostri, in terris Badensibus probatum, alia huius prouinciae sanctio v), ex qua eadem res pluribus creditoribus sine prævia iudicis sententia nequit obligari. Ita enim sublata est e caussis introductae offerendi facultatis ea, quam ab incerto pignoris pretio, de quo creditores maxime inferiores apud Romanos saepe periclitarentur, repetendam esse, alibi vidimus. Vis autem impiendiade pignorum, quam prior creditor intendit, distractionis Iure quoque Palatinatus Superioris x) offerendi auxilio tribuitur, siquidem ibi de potestate reuocandi rem oppignoratam, antequam haec extraneo venditionis lege addicatur, ita cautum est: „So aber der ander Glaubiger naechstgemeldt dem ersten vor Verkauf der Pfand seine Schuld zu erlegen anbotte, auch wirklich erlegte, lassen Wir zu, dass er den Kauf hindern, und also auch in des ersten Glaubigers Statt treten möge.“ Quod superior Germania in admittendo iuris offertreten möge.“

B 2.

rendi

v) *Ius Prout. Bad. P. IIII. tit. 16.*
§. fin.
x) *Landrecht des Fürstenthums
Oberpfalz (Monach. 1657. fol.),
Part. II. tit. 20.*

rendi vnu praeiueraat exemplum, imitatus est nouissimus prouinciarum Borussicarum legislator y), qui simul fines beneficii nostri aducratissime hunc in modum descriptis: §. 36. Die gerichtliche Veräusserung einer gtiltig verpfändeten Sache kann von andern, die darauf ebenfalls ein Recht erlangt haben, nur durch vollständige Befriedigung des Pfandgläubigers abgewendet werden. §. 37. Der Pfandgläubiger ist schuldig, einem jeden, der ein dirigliches Recht auf die Sache, in gleichen dem, welcher für die Schuld Bürgschaft geleistet hat, gegen eine solche vollständige Befriedigung sein Pfandrecht abzutreten. §. 38. Er kann sich diesem auch durch die Vorschützung eines nach §. 34. mit dem Schuldner getroffenen Abkommens (intelligitur autem conuentio de pretio, pro quo res obligata creditoris fieri debeat, hunc inter et debitorem, postquam solutionis dies venit, inita) nicht entziehen. §. 39. Doch ist er zur Annahme der Zahlung und Abtretung seines Pfandrechts erst nach abgelaufenem Zahlungstermine verbunden. §. 40. Dagegen kann er beydes selbst alsdann, wenn der gerichtliche Verkauf bereits nachge sucht worden, nicht weigern, sobald ihm auch die dabey schon aufgelaufenen Kosten mit erstattet werden. §. 41. Der jüngere Pfandgläubiger kann durch diesen Eintritt in die Stelle des von ihm befriedigten ältern Gläubigers, seiner eignen ursprünglichen Forderung kein Vorrecht vor denjenigen verschaffen, welche zwar später, als dieser, aber früher als er, ein gtiltiges Realrecht auf die Sache erlangt haben. Quae Borussici iuris disciplina eam in primis ob rem memorabilis est, quod, quamquam omnes fere introductae olim

y) Allgemeines Gesetzbuch für die Preußischen Staaten, P. I. tit. 20.
§. 36 — 41.

olim creditorum successionis caussae etiam ex hac legislatione exfulant, ipsam nihilominus succedendi facultatem, qualis a Romani iuris auctoribus tradita fuerat, sponte adoptauit, et in iustum adeo ordinem coegit.

Ab hac communi iuris Romani in exteris regionibus imitacione insigne fecit diuortium Saxonica iurisprudentia, cuius in diadicando adplicandoque offerendi priuilegio regulas nunc quidem inuestigabimus. Ante omnia vero oportet meminisse, nullum existare iuris patrii antiqui aut noui locum, in quo successionis creditorum, offerendi iure vtentium, expressa fiat mentio, quamquam alia innumera peregrini iuris capita domesticas leges occupauerunt. Quod silentium hac potissimum in re obseruatum fuisse, eo magis mirari quis possit, qui similem iuris communis sanctionem de consensu creditoris pignoratitii in vteriorem rei sibi obligatae oppignorationem recte interpretando, in lege nostra iudicaria vetustiori z) repetitam legerit. Quidquid sit, ipsa creditorum successio Romana, quod in iure Saxonico scripto reperire non potuit praefidium, id quidem cumulate nacta est per Iurisconsultorum nostrorum auctoritatem, qui antequam noua legis iudicariae, quam dixi, recensio prodierat, pro vsu iuris offerendi in Saxonia Electoralis tam constanter responderunt, vt illud apud nos olim fuisse receptum, nullus plane dubitem. Quae enim Carpzouius a) et

B 3

Men-

z) *Ord. Iudic. Sax. tit. 46. §. 10.*

a) Carpzouius l. l. P. I. Conf. 28. def. 133 — 135.

Menckenius b) adtulerunt rerum annis 1630. 1632. 1635. 1636. et 1715. a duobus, quae Lipsiae de iure respondent, Collegiis iudicatarum exempla, egregie adiuuant Bergeri c) de vñ illius privilegi in Saxonia iudicium, quod, quo maior hodienum est huius viri in nostris foris celebritas, eo minus mihi temperare possum, quin hic adiiciam. »Quae quidem doctrina, ait, uti lege non minus, quam euidenti aequitate communitur: ita insignem in foro utilitatem praefat. Quod enim alioqui cessio hypothecae operatur, id eiusmodi etiam pacto, eoque cum solo debitore inito, citra cessionem effici potest. — Memini complures hoc iure ex officio interdum adiuuari. Ut proinde id et doceri identidem, et sedulo addisci, plurimum interfit.« Nec mutauit sententiam alio in loco d), vbi successionem in nomina feudalia exposuit, nisi quod huic consensum domini directi adcedere oportere docuit. Quod Viri praestantissimi decretum repetitum legimus in Eiusdem Oeconomia Iuris e), addita hac obseruatione, hypothecam allodialem, publice confirmatam, solo pacto cum debitorum inito transferri in eum, cuius pecunia dimissus fit hypothecarius, modo a magistratu, ostensa apacha, non fuerit deleta, quum alioquin nouus creditor dolo induci posset ad contrahendum.

Nostra vero aetate in alia omnia abire fori patrii consuetudinem, et successionis creditorum Romanae vsum e finibus Saxonie profrus.

b) Menckenius l. l. p. 355.

c) de Berger Elect. Discept. forens. l. l. pag. 1490. sq.

d) Idem Suppl. ad Electa Discept. forens. l. l. p. 908.

e) Idem Oecon. Iur. l. l. not. 7. p. 395. ed. nouiss.

prorsus exsulare, communis est Iurisconsultorum domesticorum doctrina, ab Illustri Meinhofio f) nuper adcurate tradita, et, ut ipse cognoui, auctoritate Supremi Prouocationum Senatus Dresdensis, qui ex longo inde tempore hac in re a iure communi diuortium fecit, comprobata. Nolle tam istam nouissimae iurisprudentiae disciplinam ex iis causis defendere, quae Viro Illustri visae sunt Romani priuilegii e patria nostra memoriam proscriptisse. Quae enim contra *necessitatem* huius beneficii e mutatis moribus disputantur, *usum* eius semel receptum non valent infirmare. Certe egregia carituri essemus iuris Romani portione, si tales leges, quas aeuo, cui scriptae sunt, ipsa expresserat necessitas, omnes e nostris foris vellemus exterminare. Nec aliter sensisse videntur maiores nostri, quum iuri offerendi etiam in Saxonia locum esse iudicarent, quamquam iam tum nihil impediebat, quo minus, debitore iusto tempore non soluente, quilibet creditor pignoratius, etiamsi inter plures locum obtineret ultimum, ad rei obligatae distractionem legitime faciendam prouocare posset. Hoc autem primum fuit argumentum, quo nixus auctor, quem dixi, ius offerendi ob imparem creditorum pignoratiorum conditionem olim introductum, iisdem hodienum integrum esse negavit. Alteram rationem, ut supra monui, repetendam esse duxit e sapienti consilio, quo Legislator Serenissimus modum, quem iudex in admittenda praeditorum oppignoratione seruare debeat, definiuit. Neque enim solum cautum est g), ne consensus iudicis in fundis feuda-

f) Meinhofius *Diff. laud. obs. 3.* 6. §. 1. in *Cons. Cod. Aug. T. I.* pag.

g) *Mandat. feud. d. a. 1764. tit. 1031.*

feudalibus dimidiā partem, in allodialibus vero duas partes ter-
tias pretii, in nouissimo adquisitionis instrumento determinati, aut
per aestimationem denuo factam constituti, excedat, sed etiam,
quomodo eiusmodi aestimatio sit facienda, diligenter praeceptum h).
Quae legum nostrarum prouidentia nescio, an omnem tollat iuris
offerendi vtilitatem, quamquam minime nego, optime hoc modo
consultum esse creditoribus, de damnosa pignoris, nominibus suis
olim haud raro imparis, venditione non amplius periclitantibus.
Nam offerendi auxilium non magis creditorum, quam debitorum
vtilitatem respicit, quo facilius hi inuenire possint aequiorem cre-
ditorem, cuius pecunia molestiorē dimittant. Quod ipsum
quoque animaduertisse arbitror Potentissimum iuris Borussici aucto-
rem, qui, licet summam a iudicibus in decernenda pignorum pu-
blicorum confirmatione circumspectionem adhiberi, nec eorum,
quaes credituri scire intersit, quidquam dissimulari iussit i), dignam
nihilominus creditorum successionem iudicauit, quam, vt supra
dictum est, in recentissimam legislationem reciperet.

Quae quum ita sint, alia quaerenda erit ratio, ex qua aduersus
nouissimum iuris offerendi in Saxonie vslum possit disputari. Quem-
admodum autem patrii iuris disciplinam, quae ad creditorum suc-
cessionem

b) Mandat wegen derer, bey Er-
zteilung der Consense auf solche für die Königl. Preuß. Staaten (Be-
Güter oder Grundstücken, deren rolini 1784. 8.) zit. 2. §. 127 et 132.
wahrer Wert zweifelhaft ist, zum pag. 52. fgg.
Grunde zu legenden gerichtlichen
Taxationen, d. d. 6. Iun. 1772.

cessionem pertinet, moribus magis, quam lege mutatam esse, facile concedet, quicumque, nullam omnino exstare de isto iuris Romani instituto sanctionem Saxoniam, ex his, quae supra monui, meminerit: ita causam eius mutationis vnicam repeto ex interpretatione loci valde memorabilis, in lege iudicaria repetitae praelectionis obui k), quae quaelibet hypothecarum, sive allodialium, sive feudalium translationis, nisi quae fiat interueniente magistratus auctoritate, veraque cessione, pro irrita declaratur. *Ein ipsum locum! „Desgleichen wollen Wir auch, daß keine Hypothek so wohl bey denen Lehn- als auch bey denen Allodialgütern, ohne Unterscheid derer Fälle, ganz oder zum Theil, anderer Gestalt, als vermittelst gerichtlicher Confirmation und Consenses, wofür jedoch nur die Hälfte derer ordentlichen Sporteln zu entrichten, cedirt werden möge, gestalt Wir zu solchem Ende dasjenige, was dem zuwider in denen Rechten enthalten, so viel dergleichen gerichtliche Hypothecas, und deren Translation betrifft, hiermit dergestalt limitiret, und resp. aufgehoben haben wollen.“* Derogat autem haec sanctio non solum iuri communii, quod, quemadmodum cuiusvis generis res absque iudicis auctoritate pignori dari permittit, ita multo magis cessiones pignorum priuatim factas ratas habet; sed etiam antiquioribus legibus domesticis, quae et ipsae iudicialis insinuationis sollemnitate cessiones huiusmodi soluerant. Quamquam enim Mandatum sub initium seculi superioris editum l) omnes omnino cessiones, in primis vero

cessiones cito in gilde sibi civili manuistit non acceptas,
utrum.

k) Ord. Iud. Sax. Recogn. ad tit. 46. §. 2.

l) Mandat wegen wucherlicher

Contracren und obnzulässiger Cessionen d. d. 1. Febr. 1614. in Codicis Augustei Tom. I. pag. 1062. sqq.

C

eas. quibus hypothecae, in bonis sive feudalibus, sive allodialibus constitutae, transserrentur, adcedente iudicis consensu celebrari iusserat: eum tamen legis rigorem mox ad solas hypothecas feudales restrinxit ordinatio antiquior iudiciorum *m*), quam postea Serenissimus Legislator peculiari decisione *n*), eosdem iudicialis auctoritatis fines describente, declarauit. Qua legis potestate quum saepenumero abusa esset hominum malitia ad decipiendos cessionarios, rei gestae ignaros, quorum pluribus eadem subinde hypotheca ab eodem creditore cederetur, falso adeo nonnumquam praelato pignoris primum constituti initio, quod et ipsum cessionarius, cum reliquis creditoribus de nominis praerogativa certantibus, ingens aliquando negotium facefferet: sapienti profecto consilio, ut fraudibus eiusmodi obex poneretur, in recognita lege iudiciaria cautum est, ne quo alio modo, quam iudicis consensu praecedente, pignoris publice obligati ius in nouum creditorem transmitteretur. Hinc interpretatione prudentum et disputatione fori effectum est, nec successionem creditorum, ad adiuuandos eos, qui alienum pignus sua pecunia redimere cuperent, iure civili comparatam, patrii iuris disciplinae respondere, in primis quum absque cessione eamdem exerceri, iusque creditoris dimissi in offerentem semper recta via transire, viri docti sibi persuasissent. Ad ipsam autem cessionem faciendam creditorem, cui satisfactum est, adigi posse, propterea negant, quod eumdem officio suo defunctum esse putant, si, recepta per solutionem forte credita, obligationis contractae instru-

m) *Ord. Iudic.* sit. 46, §. 7.

n) *Decis. Elect.* 40. d. a. 1661.
in *Cod. Aug.* Tom. I. p. 315. *sq.*

instrumentum debitori reddiderit o), apochamque insuper exhibuerit p).

Verum enim uero quantacumque apud me est opinionis, communi Collegiorum, quae de iure respondent, consensu receptae auctoritas, minime tamen usque adeo eam valere censeo, ut modestam dubitationem prorsus excludat. Itaque primam difficultatem mouet iusta iuris ciuilis, quo creditorum pignoratitiorum successio est introducta, interpretatio. Tantum enim abest, ut, obligata forte credita, ius dimissi creditoris statim transeat in eum, cuius pecunia prior est dimissus, ut potius, nisi creditor secundus succedat in locum proxime superioris, ne hoc quidem negotium sine cessione intelligi possit. Quam quidem cessionis necessitatem, paucis obseruatam, vberius probauit Wilgenrothius q) in Commendatione, cuius supplendae gratia hunc ipsum libellum scripsi. Nostrates vero interpres sibi visi sunt in successione creditorum pignoratitiorum, offerendi facultate vtentium, inuenire pecularem quemdam, et a cessione alienum transferendarum hypothecarum modum, quem proinde Legiflator Saxonius prorsus reprobarerit, sublato omni hypothecarum commercio, nisi quod interueniente in iure cessione exerceatur. Quodsi igitur creditor inferior in prioris locum successurus, iudicem adeat, ut ad cedendum nomen alterum cogat; nescio, an legum domesticarum obtentu ab usu iuris, cessionem adeo poscentis, recte possit repellere. Deinde non leue ex-

C 2

citant

o) L. 2. C. de Condic. ex
lege etc. L. ult. C. de Solut. et
Liberat.

p) L. 14. C. cod.
q) Wilgenroth Diff. commend.
Cap. 3. §. I. p. 23.

citant dubium caussae, ob quas sollemnitas insinuationis iudicialis in cessionibus pignorum lege nostra iudicaria est praescripta. Fraudes enim creditorum cedentium plane absunt a necessariis cessionibus, quae vel inuitis ipsis fiunt, et solis cessionariis prosunt. Quod denique negant creditorem, recepta pecunia credita, ad cessionem faciendam iure cogi posse, refutatur exemplis emitorum hereditatis r) et fideiussorum s), qui venditores creditoresque, quibus pro debitoribus satisfaciunt, ad actiones sibi mandandas recte compellunt. Certe hoc adgnouit iuris Borussici auctor^t, dum cessionis necessitatem in ipsa creditorum offerentium successione disertis verbis praecipit: „§. 442. In allen Fällen, wo jemand, durch die für oder statt einer Andern geleistete Zahlung, nach Vorschrift der Gesetze, in die Stelle des bezahlten Gläubigers tritt, ist er von diesem auch eine ausdrückliche Cession seiner Rechte an den Schuldner zu fordern besugt. §. 443. Bey beharrlicher Weigerung des bezahlten Gläubigers muss der Richter denselben, auf Anrufen des Zahlenden, zur Ausfertigung der Cession durch executivische Zwangsmittel anhalten.“ Quae quum ita sint, sane equidem non video, quid impedit, quo minus locum legis nostrae iudicariae, ad quem omnia redeunt, de successione in hypothecas allodiales eodem modo adcipiamus, quo a Bergero v) simile legis antiquioris, ad feudales hypothecas pertinentis,

r) L. 2. §. 3. *Sqq.* D. de Heredit.
v. Ad. vend. L. 4. C. eod.

s) L. 17. L. 41. §. 1. D. de Fideiussor. et Mandator. L. 76. D. de Selur. et Liberar.

t) Allgemeines Gesetzbuch für die

Preußischen Staaten, P. I. tit. II.
§. 442. et 443.

v) de Berger Supplm. ad Electa Discept. forens. l. l. p. 908. et Oeconom. Iur. l. l. nor. 7. pag. 395.
ed. nouiss.

mentis, caput cum iure communi conciliatum esse, supra vidimus. Quodsi vero nihilominus receptam opinionem sequi, omnemque creditorum, hypothecis rerum immobilium munitorum, successio-
nem, quatenus offerendi iure nititur, *de foro Saxonico* proscribere velimus: postulat tamen iuris ratio, ut certe rerum mobilium pignora ad aliam normam exigamus. Quemadmodum enim res mobiles ex nostris moribus sine iudicis auctoritate pignori obligari tuto possunt *x)*, ita nec ad cedenda eiusmodi pignora sollemnitate publica opus esse, variae leges *y)* edixerunt. Iam quamquam in Saxonia fieri non potest, ut eadem res mobilis pluribus creditoribus simul obligetur, siquidem nullum apud nos mobile pignus admittitur, nisi quod, creditori traditum, ab eodem vere possideatur *z)*: tamen, quum praeter creditores pignoratios inferiores etiam chirographarii et extranei in locum creditorum pignoratiorum suc-
cedant; his saltem, pignoratios sua pecunia dimissuris, et pignora ita redemturis, integra erit successio, vt pote quae ne lege quidem iudicaria recentiore, de solis bonis immobilibus intelligenda, prohibita dici potest.

II.

Quae de vsu iuris offerendi hodierno a me disputata sunt, eo in primis consilio praemisi, ut, recte e patria nostra exsulet cre-

C 3

ditio-

x) *Constit. El. Sax. 23, P. II. in Elecī. 40. in Cod. Aug. Tom. I. p. Cod. Aug. Tom. I. p. 93. Ord. Iud. tit. 46. §. 1.*

315. sy. Ord. Iud. Recogn. ad tit. 44. §. 2.

y) Ord. Iud. tit. 46. §. 7. Decis. z) Ord. Iud. Recogn. l. l.

ditorum successio, an secus, adpareret. Iam enim ad alteram, quam proposui, quaestionem progressus, vtrum expedit, in ciuitate, talis successionis experte, eamdem iure quasi postliminii restitui, nouaque lege fanciri, nec ne, pro virium modulo expendere conserui. In quo argumento tractando me Saxoniae potissimum rationem habere, nemo vitio vertet, qui incertam iuris patrii sententiam, si qua in re, in hac certe futurae legislationis auxilio egere, meninerit. Nec parum ponderis adcedit nostrae quaestioni a magna pecuniae paratae, qua nostra prouincia abundat, copia, cuius commercium, omni modo promoueri, reipublicae maxime interest. Ut vero intelligatur, quantum hodie referat, ius offerendi creditoribus saluum esse, aut secus, fingamus exemplum, apud nos frequenter obuium, quod totum pendet ab vsu eius iuris recepto aut sublato. Debitor quidam praedium suum pro forte, sub vsuris *quincuncibus* credita, pignori obligauerat. Foenoris tam molesti dudum pertaesus tandem inuenit aliquem, eamdem pecuniam sub vsuris *trientibus* aut *quadrantibus* hac lege crediturum, vt ipse in locum dimissi creditoris absque nouo iudicis aut domini directi consensu, interueniente sola nominis cessione, succedat. Adit creditorem, quem aliena pecunia dimissurus est, debitor, et, futura pecuniae creditae solutione tempestive denunciata, (*nach erfolgter Aufkündigung des Capitals*) petit, vt, recepta sorte, nomen ipsum in nouum creditorem transscribi patiatur. Ille vero, sortem sub lautis vsuris tuto collocatam aegre recepturus, cessionem obstinate detrectat, euictionis sibi imminentis calumniam prae se ferens. Quae quamquam iam ea de caufsa ieuna est, quia cedens tantum verum, non autem bonum nomen praestare

flare debet: tamen potest efficere, vt debitoris spes, quam aequior conditio a nouo creditore oblata fecerat, prorsus interuertatur, et ipse onus durioris foenoris diutius ferre compellatur. Quodsi vero ius offerendi esset introductum, frustra recusaturus esset creditor molestior pignoris cessionem, quam iure suo debitor vrgere tunc posset.

Iam ex ipsa, quam proposui, specie adparet, debitorum maxime causam agi ab iis, qui successionem creditorum ciuilem commendent, et domestica lege instaurari cupiant. Addunt, quae vulgo ad defendendam Romanorum hac in re disciplinam adferri solent argumenta, ab aequitate, quae quemlibet facere iubeat ea, quae ipsis non nocent, alteri vero profund, nec non a iure creditorum intermediorum, per successionem offerentis creditoris minime imminuto, petita. Creditori enim, aliena pecunia dimisso negant iniuriam fieri a succedente creditore, idem, quod ipsis debitori licuisset, si fatis locuples fuisset, faciente, dummodo fors integra cum usuris et sumtibus, in pignus factis, tempestive restituatur. Intermedios vero creditores iure aiunt vinci ab offerente, quippe qui, nisi pecunia priori soluta fuisset, eodem loco mansissent, et eadem aut potiori adeo, quam creditor nouissimus, vti potuissent facultate pecuniam offerendi, pignusque suum confirmandi.

Sed ingenue fateor, me his et similibus aequitatis rationibus non eo commoueri, vt redditum creditoribus iuris offerendi exercitium nostrae rei soenebri, patrioque in primis commercio multum utilitatis adlaturum esse censem. Quantacumque enim misericor-

ricordiae erga debitores, alieni auxillii indigentes, vis est: numquam tamen ea tanta esse debet, vt in manifestam creditorum injuriam degeneret. Quae quamquam, vt alibi dictum est, e iure Romano, talis, qualis apud nos exercetur, negotiationis pecuniariae ignaro, vtique exsulabat, nostra tamen aetate abesse nequit ab aemulatione foeneratorum, ne facultates suae in arca delitescant otiosae, sed certis potius nominibus credantur, maxime sollicitorum. Ita enim fieret, vt unus alterum a pignore, summa saepe cura et vigilantia quaesito, depellere, ac, meliori conditione oblata, se quidem in locum antiquioris creditoris, nisi hic, necessitate coactus, de usurarum modo ipse debitori aliquid remittat,ingerere studeret. Quae res quemadmodum iniquitatis reprehensione in ciuitate pecuniosa non caret: ita magnum profecto publicae utilitati ac fidei, qua ciues continentur, vinculo damnum adferat, necesse est. Neque enim expedit, usuras sortium tuto collocatarum ita decrescere, vt vix cuiquam liceat pecuniae suae fructus idoneos percipere, nisi incertorum nominum periculum malit incurriere. Quae hominum locupletum sollicitudo saepe foecundissima mater est mali foenebris, pestis reipublicae, fraudumque infinitarum, quibus proxenetae potissimum foeneratorum miseros debitores circumuenire non erubescunt. Quid autem facilius potest euenire, quam vt creditores, a pignoribus, quibus ante gauisi fuerant, aemulatione aliena deiecti, licitam negotiationem omnem eiurent, pecuniamque aegre receptam turpi foenori committant? Quum igitur respublica bene constituta ciibus, honestum in patrimonio suo quaestum facientibus, eadem diligentia prospicere debeat, qua indigentium fortunas subleuari par est; sequi-

sequitur, patriae in primis nostrae, commerciis variij generis florentissimae, optime tunc consuli, si in tanta vflurarum, de qua foeneratores hodie non iniuria conqueruntur, vilitate is certe, qui nunc est, foenoris modus feruetur, omnisque creditorum aemulatio, quae per successionem eorumdem ciuilem egregie adiuuatur, a formula nostra hypothecaria porro abesse iubeatur.

*Iam, quae mihi haec praefandi otium gratissimum fecit, praedica
enda est Illustris Iurisconsultorum in hac litterarum uniuersitate Ordini
indulgentia. Quum enim more maiorum receptum sit, ut ii Doc-
tores, qui disputationes de selectis iuris controuerſi capitibus publicas
velint suo praefidio moderari, eius rei veniam ab Illustri hoc Collegio
petant: meis quoque precibus concessit Patronorum, quorum omnes ac
singulos pie veneror, liberalitas, potestatemque fecit; Commilitonum,
qui me ducem sequuntur sint, publicis colloquiis praefidendi. Itaque
nomina sua apud me profecti sunt hi, suo quisque tempore in arenam
prodituri:*

IOANNES ERNESTVS SALOMO BOEHMER,
Budissa - Lusatius.

FRIDERICVS GVILIELMVS CONRADI,
Grimma - Misnicus.

IOANNES FRIDERICVS DIPPNER,
Marienthalio - Misnicus.

ERNESTVS IACOBVS HENRICVS FRIEDEL,
Thuringus.

D

FRIDE-

FRIDERICVS DANIEL GEISSLER,
Lipſiensis.

CAROLVS AVGVSTVS GVILIELMVS GIESE,
Gorlitio - Lusatius.

ALEXANDER MAVRITIVS HAVSCHILD,
Dresdenis.

MAXIMILIANVS IOSEPHVS HAVSCHILD,
Dresdenis.

FRIDERICVS TRAVGOTT VALERIVS HEROLD,
Briefnitio - Misnicus.

CAROLVS CHRISTIANVS HERSCHEL,
Pirna - Misnicus.

ADAMVS FRIDERICVS KVHN,
Sorauia - Lusatius.

IOANNES GOTTFRIED KVTTNER,
Loefnicio - Misnicus.

ERNESTVS FRIDERICVS ADOLPHVS LEHMANN,
Hohburgio - Misnicus.

FRIDERICVS GVILIEMVS HENRICVS LEVTHIER,
Großgoerschenio - Misnicus.

CAROLVS GOTTHOLD MERBETH,
Zschopauia - Misnicus.

FRIDERICVS AVGVSTVS MILHAVSER,
Dresdenis.

CARO-

CAROLVS TRAVGOTT RITZ,
Budissa - Lufatus.

HENRICVS FRIDERICVS SCHEIBE,
Lipsiensis.

CAROLVS SIGISMUNDVS SCHVBARTH,
Zschopauia - Misnicus.

CHRISTIANVS GOTTLIEB ADAMVS WEBER,
Lipsiensis.

CHRISTIANVS FRIDERICVS GVILIEMVS ZSCHIESCHE,
Lubbena - Lufatus.

*Quorum iuuenum praeftantissimorum iudicio quo magis me ipsum
ornatum esse intelligo: eo impensus vos, GENEROSISSIMI ET HV-
MANISSIMI COMMILITONES, rogo, vt singulis Disputationibus,
publice olim indicandis, frequentes interesse, nec mihi solum, sed etiam
Respondentibus Ornatisimis, qui in plurium VESTRVM familiaritate
versantur, noua VESTRAE benevolentiae documenta praesentes exhib-
ere velitis.*

P. P. in Vniuersitate Litterarum Lipsiensi Dominica III. p.
Fest. Epiphan. A. C. cIcIccLXXXIII.

CHRISTIANA FIDEI CATHOLICAE SCHEIRE
LIPSIENSIS - PHILIPPI
CHRISTIANA FIDEI CATHOLICAE SCHEIRE
LIPSIENSIS - PHILIPPI

CHRISTIANA FIDEI CATHOLICAE SCHEIRE
LIPSIENSIS - PHILIPPI
CHRISTIANA FIDEI CATHOLICAE SCHEIRE
LIPSIENSIS - PHILIPPI
CHRISTIANA FIDEI CATHOLICAE SCHEIRE
LIPSIENSIS - PHILIPPI
CHRISTIANA FIDEI CATHOLICAE SCHEIRE
LIPSIENSIS - PHILIPPI
CHRISTIANA FIDEI CATHOLICAE SCHEIRE
LIPSIENSIS - PHILIPPI
CHRISTIANA FIDEI CATHOLICAE SCHEIRE
LIPSIENSIS - PHILIPPI

Leipzig, Diss; 1794



f
sb.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

0

Centimetres

inches



0382.

1794,7

DISPUTATIONES

DE

SELECTIS

IVRIS CONTROVERSI CAPITIBVS

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

SE PRAESIDE

PVBLINE INSTITVENDAS
INDICIT

D. CHRISTIANVS GOTTLIEB HAVBOLD

SUPREMAE CVRIAIE PROVINCIALIS ADSESSOR
ANTIQUITATVM IVRIS PROFESSOR PVBlicVS
EXTRAORD

*Successionem in priorum creditorum locum, iure offerendi opud Romanos nixam,
e foro Saxonico reble exsulare*

PRAEFATVS

LIPSIAE
EX OFFICINA SAALBACHIA